

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Christo D. quæ Homo est.

SECTIO IV.

Suam Christus celebrat temporalem nativitatem, quæ ex Virgine Matre procedit.

331 DARE aggrediôr sensum æterum illorum verborum, Ego ex ore Altissimi prodire primogenita ante omnem creaturam: quem reor propriè esse litteralem, imò magis litteræ proprietati consonum. Et notandum (aio cum S. Bonav. in c. 9. Sapient.) quòd Sapientia increata quandoque dicitur esse in sinu Patris, ut; Unigenitus, qui est in sinu Patris. Aliquando gigni ex utero; ut in Psalmo; ex utero ante luciferum genui te. Aliquando ex ore Patris procedere: Ego ex ore Altissimi prodire, &c. Primum propter occultationem; secundum propter consubstantialitatem: tertium propter manifestationem. Itaque pensiculate potuit, æternam Dei Sapientiam dici ex ore Altissimi prodire, propter manifestationem, utique per Incarnationem factâ; tunc enim ex ore Patris processit, sese hominibus manifestando.

332 Hunc esse illorum verborum intellectum, multa mihi persuadent. Primum ipsa oris metaphora, & consequenter metaphorica sermonis, & vocis nomenclatura; qua signatè Incarnata Dei Sapientia insignitur: os enim, atque ex ore sermo, & vox, suo sibi jure vendicant sensibilitatem, & manifestationem quandam, qua sint externis sensibus pervia. Unde illæ voces aptiores videntur ad temporalem Christi generationem indicandam. Rectè proinde S. August. 10. 10. Ser. 20. de Sanctis: Hinc tam sollicitè requiramus, quid inter verbum sit, & vocem. Scripturæ sacra verbum esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus; Verbum esse definiunt ipsam cogitationem, quæ adhuc intra conscientie secreta continetur: vocem verò, per quam verbum profertur in medium. Vox sonus est index cogitationis; verbum verò ipsa cogitatio. Etenim Christus D. ut Deus est, commodiori appellatione dicitur Verbum, Sapientia, & Filius in sinu Patris, & paterno utero genitus, ac reconditus. At verò ut homo est, vox propriè appellatur ex ore Altissimi prodire manifestè; ejus quippe humanitas se habet ad inflar vocis, & sermonis externi, & sensibilis, qua Verbum mentis æternum vestitur, ac sese humanis oculis objicit videndum, contrectandû. Et quidem Sermo, si rigidè accipiatur, (ut est accipere, ubi nihil obstat) significat orationem: atque adeo magis accommodatur Christo, ut est persona composita ex persona divina, & humana natura per unionem hypostaticam.

333 Audiamus Joannem in Evangelii sui vestibulo c. 1. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Preme particulam apud non semel positam. Quasi dicat: Tantum erat apud Deum, nondum sibi carnem induerat, nondum se manifestarat Verbum; sed in ipso erat paterno pectore reconditum, insensibile. Sic interpretantur Tertull. ad ver. Prax. & S. Greg. lib. 5. moral. c. 19. Toletus, & alii. Hinc jam magna, & cre-

S. Bonav.

Oris, & vocis metaphora aptior extat pro explicando Incarnationis mysterio.

S. August.

Joan. 11.

Erant Verbum reconditum, invisibile, insensibile apud Deum.

Cant. 2. 14. Mortales enixè petunt

bra mortalium desideria, & suspiria pro Christo venturo. Cant. 2. 14. Ostende mihi faciem, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Sponsæ verba sunt, juxta Nysseni, Pselli, & Carpati mentem. LXX. vertunt: Audiam fac vocem tuam. Græcè etiam, Sonet Verbum tuum. S. Ambrosius: Infirma mihi Verbum tuum. Nyssenus ibi: Dei apparitionem per carnem desiderat, ut sermo fiat caro, ut Deus in carne manifestetur. Quid ergo? Nec Deus aspernatus est hominum vota. Etenim os suum ille aperuit, Verbum suum fecit auditum, & ex ore ejus nova generatione prodit, ut sermo, ut vox, id est corporeum, sensibile; non longè ab simili ratione, qua mentis nostræ Verbum externo sermone, ac voce vestitum. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. Ad quæ verba delicatè admodum S. August. lib. 1. de Doctrina Christi, c. 13. sub eadem metaphora oris, & vocis, sic fatetur: Quomodo venit, nisi quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis? Sicut cum loquimur, ut id, quod in anima gerimus, in audientis animam per aures carneas illabitur, fit sonus Verbum, quod corde gestamus, & locutio vocatur. Nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis, quæ se insinuat auribus, sine aliqua labe, sine mutatione assumitur: ita Verbum Dei non commutatum caro factum est, ut habitaret in nobis. Nec minus delicatè tom. 3. lib. 15. de Trinit. c. 11. Verbum nostrum vox quodammodo corporis fit, assumendo eam, in qua manifestatur sensibus hominibus, sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam, in qua & ipsum manifestatur sensibus hominibus.

334 Consonat S. Athanasius tom. 2. in Quæstionibus, quarum prima est, Quid est Deus, qu. 4. longè post medium, ubi rem nostram edisserit sapientissimè, ita: Quemadmodum sermo hominis duas habet generationes, unam ex anima, & alteram ex labiis: ita etiam Dei sermo duas generationes habet, unam ex Deo, & Patre, quæ & prima generatio dicitur: alteram ex carne, quæ & secunda generatio dicitur: & quemadmodum sermo noster, quando natus est secundum primam generationem ab anima, obscurus, est, & non aperitur; ita Dei sermo, quamvis ante secula à Deo & Patre natus est, non tamen manifestatur hominibus. Et quemadmodum sermo noster, quando volumus, nascitur ex labiis nostris; ita & Dei sermo, quando ei visum fuit, natus est ex ter castissima Maria, & tunc factus est manifestus. Accedit S. Gregor. Nysseni. Epistola contra Apollinar. quæ est de imagine, & similitudine. Generatur, inquit, in corde Verbum generatione quadam incomprehensibili, atque incorporea, manetque intus incognitum; ac secunda generatione corporea per labra generatur; tuncque omnibus innotescit; sed ab anima tamen, quæ ipsum genuit, non evellitur; ut per duplicem verbû nostri generationem manifestè duas Dei Verbi generationes secundum imaginem, & similitudinem ediscamus. Genitus enim est invisibili, & incomprehensibili atque inexplicabili ratione ex Patre ante secula, eratque incognitus, tanquam in anima quadam apud Patrem, &c. Vides, quomodo ex ore Dei processerit Verbum, uti sermo, uti vox, quatenus nova quadam, sensibilibique Generatione

S. Nyssen.

S. August. Internum Verbum formam vocis assumendo manifestatur.

Sic Dei verbum hominibus innotescit; S. Aug.

Sermo humanus duas habet generationes. S. Athan.

Sic etiam Dei sermo sem Verbum.

S. Nyssen.

se ipsum manifestaverit per carnis assumptionem ex Matre Virgine? Certè, quemadmodum humanæ mentis verbum, ut aliis innotescat, necessum est, ut voce ex ore prolata vestiat, attemperetur, & quasi incarnetur, eaque ratione fiat quodammodo corporeum, & sensibile; ita etiam æterni Parentis Verbum, ut hominibus innotesceret, opus fuit ut humano sibi naturam indueret, quæ esset ad instar vocis externæ, divinum Verbum quodammodo corporeum, & sensibile rediens. Hoc ut ostendat Siracides noster, illa utitur oris metaphora, cujus partus genuinus est vox ipsa.

Sapd Scriptura celebrat divini Verbi temporalem generationem assumpta oris & vocis metaphora.

335 Rursus, hac ipsa oris, & vocis metaphora alibi sæpè usi sunt Canonici scriptores, ut Verbi divini temporalem generationem commendarent. Pius Vates Psalm. 28. totus est in hujus vocis commendatione, eamque septies vocitat vocem Domini; multaque, ac permagnifica comprehendit tantæ vocis elogium. Consule Interpretum nobilissimum Jacobum de Valentia, Episcopum Christopolitanum, qui ad illum Davidicum carmen sic præfatur: Sicut totus Jesus Deus, & homo dicitur nomen Dei (uti probaverat in Psalm. 8.) ita sola humanitas, prout est unita Verbo, dicitur vox Domini. Et ratio est; nam sicut nomen nihil aliud est nisi verbum cum voce, ita JESUS CHRISTUS nihil aliud est nisi Verbum Incarnatum, seu Verbum habens humanitatem. Item sicut vox nostra nihil aliud est nisi vehiculum verbi, per quod verbum mentale secretum, fit notum aliis, & sensibilibiter manifestum, ut ait Avicenna: ita pariter dicit Augustinus, quòd humanitas Christi fuit vehiculum, & instrumentum, per quam Verbum divinum instrumentaliter, & sensibilibiter notificavit mundo voluntatem Patris. Hactenus Jacobus ad rem maximè nostram luculentè.

Isai. 40. 5.

336 Similiter Isaias c. 40. v. 5. ubi de Christi manifestatione per incarnationem. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Paulò explicatus LXX. Interpretes: Videbit omnis caro salutare Dei, quod os Domini locutum est. Ubi gloriam Domini appellat gloriosam Jesu humanitatem, & latentem in ea Deitatem, per Incarnationis opus patentem omnium oculis. Quam gloriam vocant LXX. & Lucas c. 3. 6. salutare Dei, id est, salvatorem Christum; quem æternus Pater dicitur locutus, dum non jam uti Verbum solummodò internum, sed ad instar externi sermonis, & vocis, nostrâ nempe humanitate indutus, hominibus apparuit ex ore Altissimi prodirens. Consonat sibi Isaias c. 55. vers. 10. & 11. cujus verba expendenda tibi relinquo.

Ad Hebr. 2. 1.

337 Huc etiam retulerim illud Pauli ad Hebræos 1. 1. ubi præclarè Christi divinitatem, & humanitatem dilaudans, ita scribit: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio: id est, per Filium, de more Hebræorum, quibus in est per. Atque ita exponunt multi Ecclesiæ Patres, & Doctores apud Cornelium nostrum. Atqui locutus est nobis æternus Pater per Filium suum, tanquam per suum sermonem, ut Euthymius interpretatur in Joannem. Sibi ipsi per suum Verbum loquebatur tacitus intra sui pectoris arcanum. Et licet multifarie, mul-

tisque modis quodammodo sensibilibiter, & corporaliter loquebatur per Prophetas, qui Dei os sæpè vocitantur, ea tamen locutio erat veluti emortua per imaginarias sæpè sapius, & corporeas visiones, per rerum imagines, & similitudines, quasi per nutus manuum multiplices; id enim significat Græca vox πολυτρόπος, id est, multiformiter: ut significetur Deus per varias formas, modos, nutus, & similitudines locutus, Abrahamo loquitur per clibanum fumigantem, & ignis lampadem transeuntè, Genes. 15. Jacobo per scalam, & multos Angelos ascendentes, & descendentes, Genes. 28. Josepho per tritici manipulos, solem, lunam, & stellas, Genes. 37. Moyli per ardentem rubum & corporale spectrum, manus virgæque nutus, Exod. 3. & 4. nec non per spectrum transiens, Exodi 33. Gedeoni per pluviam, vellus, & aream, Judi. 6. Jeremiæ per virgam vigilantem, & ollam succensam, cap. 1. Isaïæ per thronum excelsum, cap. 6. Ezechieli per currum gloriæ, cap. 1. Danieli per lapidem de monte sine manibus deciduum, cap. 2. Balthasari Regi per digitos scribentes in pariete, Danielis 5. Amos Prophetæ per sictoris speciem, & artificis trullam cæmentariam præ manibus habentis, cap. 7. Zachariæ per equites multos, & fabros, cap. 1. per candelastrum, cap. 4. per volumen volans, & mulierem sedentem super amphoram, & duas feminas alas amphoram portantes, c. 6.

Olim Deus multis formis loquebatur, quasi per nutus manuum multiplices, at in incarnationis mysterio perspicuè locutus.

338 Istiusmodi locutiones, & similes aliæ; potius rerum, manuum, digitorumque nutus quidam, & emortuæ locutiones nuncupandæ: ut enim Deus apud Oseam cap. 12. ait: In manu Prophetarum assumulatus sum. Hebraicè, similitudines posui. Expende loquendi rationem; in manu Prophetarum, id est, per locutionem, & verba Prophetarum. Sic enim dicitur, Factum est verbum Domini in manu Aggæi; id est, loquente Aggæo, seu per locutionem illius. Unde etiam manus Domini super aliquem fieri dicitur, cum per eum, vel ei Deus loquitur. 3. Reg. 18. Et manus Domini facta est super Eliam. Quasi nullo alio pacto Deus hominibus, & per homines loqueretur antiquitus, nisi nutibus, & quibusdam manuum veluti gestulationibus (hablar per señas) ipsaque Prophetarum articulata locutio, nihil esset aliud, quàm quidam Dei nutus, mutusque loquendi modus. Ergo missis jam à Deo hisce nutibus, mutisque locutionibus, locutus est nobis per Filium, tanquam per suum sermonem, propriamque vocem; per verbum suum, non jam reconditum, sed humanâ, sensibili, & spectabili naturâ indurum. Sic ex paterno ore processit per temporalem generationem in utero Virgineo.

Osc. 12.

3. Reg. 18. Vox, Primogenita, spectat ad Incarnationis mysterium.

339 Denique stant etiam pro nostra interpretatione illa verba: Primogenita ante omnem creaturam. Vox enim primogenita, si rigidè sumatur, relativa est ad alios fratres; & non nisi de Verbo, quod factum caro est in tempore, materno in sinu capi debet. In hoc sensu appellatur Christus D. à Paulo, Primogenitus in multis fratribus, ad Rom. 8. 29. Primogenitus omnis creature, ad Colos. 1. 15. Videnti ibi S. Chrysostronus, Anselmus, Theodoretus, & S. Gregorius Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma, S. Cyrillus Alex.

Rom. 8. 29.

6. Concilii Ephesini, cap. 9. & Dialogo de Trin. lib. 4. & lib. 10. Theauri cap. 4. S. Hilar. lib. 12. de Trinit. S. August. contra Epistolam Manichae. cap. 37. Fulgentius in respons. contra Arrianos, ubi ita: Quia secundum Deitatem semper unigenitus fuit sine fratribus, factus est secundum hominem primogenitus in multis fratribus. Et quidem primogenitus dicitur Christus D. quia homo est, ante omnem creaturam; non quia genitus sit reliquis creaturis prior secundum rem, seu ordine executionis, ut loquuntur Scholastici, sed prior dumtaxat ordine intentionis, praedestinationis, seu praedestinationis. Vide Soarium nostrum in 3. p. q. 27. disp. 1. Et nos nonnihil vestigabimus infra, ubi de Virginis primogenitura.

SECTIO V.

Dominica Incarnationis magnalia expenduntur, retenta oris, & vocis metaphora.

340 In primis totum Incarnationis opus, utpote divinissimum, uni Deo praecipuo illius opifici, & per appropriationem quandam Spiritui sancto deferendum, in confesso est. Ut enim Angelus ad Deiparam Luc. 1. 35. Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod venuste probatur ex eo quod Christus D. ex ore Altissimi dicitur procedere, sermonis, seu vocis ad instar. Accipe ex mente D. Thomae Angelica pulchrum effatum. Sic ille in Opsc. 2. compendii Theologiae c. 219. quaerens causam formationis corporis Christi, statuensque esse Deum, & signatim Spiritum sanctum: Convenienter etiam hoc dicitur secundum similitudinem verbi, & spiritus: Verbum humanum in corde existens, similitudinem gerit aeterni Verbi, secundum quod existit in Patre.

Sicut vox humana per hominis Spiritum formatur, ita & caro Verbi per Spiritum sanctum. Abac. 3. 2. Ab Austro venit Christus, id est, a calore dilectionis.

Pharan, id est, os videns. S. Hieron. Mons umbrosus Dei para. Obumbratio ad Spiritum S. spectat.

Stat, qui Virginem textit, ac viri vices, partesque compensans ineffabili modo, ex purissima illius carne, & substantia Dei Verbo carne, & substantiam dedit. Sic divinum Verbum vocem assumpsit, formante illam Spiritu oris Dei: sic de Spiritu S. formatus est Christus.

341. Deinde, per illam oris, & vocis metaphoram mundissimus, ac purissimus commendatur Christi in Materno utero conceptus, & partus, Virgineo honore intacto, illibatoque. Vox enim nostra humana ore prolata intrat planè per aures, subitque audientis cor; & egreditur per os ex proferentis pectore, absque ulla vel audientis, vel proferentis corruptione, refectione, exasperatione, aut commutatione. Huc spectant gravissimi Ecclesiae Proceres, qui, ut Virgineam Deiparae puritatem commendat in Filii conceptione, autumant Christum fuisse progeneratum per Virginis aurem, per auditum. Ita Proclus Episcopus Cyzicus Homil. de Nativ. Christi to. 6. c. 7. in Actis Concil. Ephes. Verbu per auditum illapsum. S. Joan. Damasc. l. 4. Orthodoxae fidei c. 15. circa finem: Per auditum quidem concepit, sed nativitas per consuetu parientium egressum. Et S. Ambros. lib. de Salomone c. 2. Venit Christus de caelo, aure concipitur, utero portatur, & talis virgo Maria remansit postquam peperit, qualis antequam Verbum aure conciperet, & utero gestaret. Concinit S. Ennodius in Hymno S. Mariae Virginis.

Quid mens requiris ordinem? Natura totum perdidit, Hoc est salus, quod vincimur, Cum sola Virgo degeret, CONCEPIT AURE Filium, Supente factum corpore, Turgescit alvus Spiritu; Quod lingua jecit, sermo est.

Accedit S. Bruno Cartusianae Familiae Patrens, aequè doctus, ac sanctus, Ser. de Annuntiat. B. Virg. ad illud Pl. 44. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, ita praclare: Suscipe Verbum in corde, & in utero tuo Virgo concipies, & Virgo paries; quia per AUREM ingreditur in te, qui nascetur ex te; Verbum enim est, & via verbi auris est. Non enim aliter concepit Maria, nisi audiendo, & credendo auditu, & credendo, & credendo concepit: Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Rectè etiam S. Fulgentius, vel, ut alii maluerunt, S. August. Ser. 11. de Nativ. Domini, vel inter Augustini Homil. 15. de tempore, & in appendice 24. Angelus sermonem jecit, Virgo concepit, conjunctio haec sine sordibus facta est, in qua & maritus fuit sermo, & uxor auricula. Hoc splendore Filii Dei concipi debuit, hac munditia generari. Et in eadè appendice, Serm. 22. & de tempore 10. scribit: Expavit in partu suo Mater: Deus per Angelum loquebatur, & Virgo auribus impraegnabatur.

342 Ex his Patrum effatis liquidò constat, Christum D. quia homo est, conceptum utique fuisse ad instar vocis ex ore Altissimi prodeuntis, & per aures in Virginis utero illapsae. Subtilissima est haec generatio, in qua nihil impuritatis, nihil maculae apparet: cum Deus, Angelo internuntio, loquatur, & per spiritum oris Dominici sermo, sive vox efformetur in utero Virginis, proinde ac si per illius auriculas verbum ingrederetur, illudque audiendo conciperet. Sicut enim vox aures perneurat absque ulla corruptione; sic Dei Filius

Oris & vocis metaphora explicatur mundissimus Christi conceptus & partus ex Matre Virgine.

Per Virginis aurem sive auditum Christum conceptus dicitur.

S. Damasc. S. Ambro.

S. Ennod.

S. Bruno

S. August.

alvum Virginis ingressus est; ibique sibi induit humanam naturam, illasè Puellae Matris integritate, sine ullo Virginitatis dedecore.

343 Hinc illud Dei-gentricis elogium non semel à Patribus inculcatum; nimirum quòd Deipara Virgo in Christi conceptione, & partu, aeternam divini Verbi generationem, qua à Patre est, fuerit aemulata. Unum audiamus Theodotum Ancyrae Episcopum Homil. in Natali Salvatoris, Epheii habita ad Concil. Ephesinum, tom. 6. cap. 10. Dum sacra (inquit) divinae scriptura unigenitum Dei Filium Verbum nominat, solam Navitatis ipsius incompatibilitatem per hoc insinuat; nam & humana quoque mens cura patibilitatem Verbum generat. Quasi eo ipso quòd aeternus Filius generetur ut Verbum, sequatur inde, generationem ejus esse omnino incorruptibilem, & purissimam: subindeque prima Trias, Virgo sit, uti canebat S. Nazianzenus Carmine de Virginitate. Caeterum audi quid subinferat Theodotus, ut Virgineam Deiparae integritatem commendat in Filii conceptione, & partu. Vide (ait) quomodo factum est inopinabile Sacramentum transcendens naturae rationem. Quia enim est Verbum Dei, palam est, & ideo Virginitatem non solvit: quae parit carnem puram, virginitatem non amittit: sed quoniam natus est carnaliter Verbum Deus, custodit virginitatem, seipsum RATIONEM ostendens. Quid luculentius? Satis dilucidè ostendit, Virgineam, dum Christum generavit, & peperit, nullè amulatam Verbi divini generationem, & partum ex mente Paterna. Utriusque enim, aeterni Patris, & Deiparae Matris unus atque idem est Filius; qui cum Dei Verbum sit, conceptus, & partus mensus, & ventris, citra ullam concipientis, & parientis laesionem concipitur & paritur. Sed preme pro Deigenitricis integritate verba ista: Custodit Virginitatem, seipsum rationem ostendens. Pro rationem enim est in textu Graeco vox λογος, quae sermonem significat: sermo autem, ut supra attigimus, oratio composita est, quae magis accommodari debet Christo, ut est persona composita, Deus scilicet, & homo. Unde Tertull. lib. de Oratio. c. 1. Dei sermo, & Dei ratio, sermo rationis, & ratio sermonis, & spiritus; utrumque Jesus Christus Dominus noster. Ergo, inde Theodotus probat, Deiparam Mariam, illibatam suam Virginitate, Christum concepisse, peperisseque; quia illum ut sermonem concepit & peperit; & ipse in conceptione, & partu se ipsum sermonem Paternum esse ostendit: sermonis enim ingressio, & egressio in corpus, & ex corpore absque ulla profusio corporis corruptione, & commutatione fit. Rectè igitur S. Ambrosius Ser. 16. Quemadmodum Virgo Divinitas ediderat; ita eum & Virgo Maria generavit.

Theodotus. S. Nazianz. S. Damasc. S. Ambro.

Deipara Christum ut rationem, ut sermonem concepit, & peperit, ideo Virgo permansit.

344 Denique ex hac oris, & vocis metaphora concinnè explicatur, qua ratione Dei Filius è caelo in uterum Virginis descendit, quin Patris finem reliquerit. Sic probat Agnellus Episcopus Ravennatis Epist. ad Armenium de ration. Fidei, tom. 3. Biblior. Restat, inquit, ut hoc quaeratur ab Heretico: cum formam servi suscepit Filius, & venisset in mundum, si deseruit Patrem? Ad hoc respondendum est: Si Verbum, quod exierit de ore meo & introierit in aurem tuam, & per aurem tuam in corde tuo caperet manere;

die mihi; numquid, quia in tuo pectore manet, Explicatur jam in meo pectore non est? Si ergo inter ingressus, per meum os egressus, in tuam mentem ingressus, meam non deseruit animam; quanto magis ex Patre Deo egressus sermo Patris pectus deserere non potuit? Nam ipse Filius dicit: Ego ex corde Altissimi prodivi: & Pater dicit: Eructavit cor meum Verbum bonum. Belissimè ad rem nostram.

345 Terum rationis trutinæ mandanda Sitaracis verba, juxta aliam oris acceptionem pro corde, & Agnelli translationem; Ego ex corde Altissimi primogenita: ut hinc, à quo ortum trahat summum Incarnationis opus, expendamus. Certè à corde Paterno suam duxit originè Christus Dominus, quia homo est profectus: ut sic ostendat, beneficii summi esse amoris opus, eximiumque eximiae dicitur argumentum: cor enim domicilium amoris est; imò, ut aiebat supra c. 3. Honorius, Per cor amor intelligitur, qui in corde esse dicitur. Ex toto corde dilexit nos Deus, quando hominum amore sic exarsit, ut humanam induerit naturam, artus sibi assumpsit infantiles, cum hominibus conversatus est, & mortem Crucis subit acerbissimam: atque ita confors factus naturae nostrae, nos suae Divinitatis consortes effecit, ex inimicis amicos, ex servis filios, & cohaeredit divinae gloriae. O summum dilectionis opus! Hinc Joannes c. 3. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. In quae verba Joannes Monachus lib. de Incarn. Christi c. 14. in Bibliotheca Photii sic venuste: Qui inseparabilem Dei erga nos amorem ostendere conatur, non hoc commemorat, quòd ab initio hominè formaverit, neque quòd suam ad imaginem hunc effinxerit, ut nec quòd magnum aliquod, aut admirandum opus suscepit. Quid igitur? Filii ipsius per carnem adventum refert, per quem uique nostra est patrata reformatio. Sic enim, inquit, Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit pro mundi vita. Etenim licet Deus optimus maximus nunquam non ingentia suae dilectionis erga homines signa dederit; videlicet in mundi conditione, hominum creatione, conservatione, propagatione; nam charitate perpetua dilexit nos Jer. 31. 3. Jerem. 31. 3. vel juxta Hebraeam vocem olam, charitate saeculi antiqua: signa tamen haec scintillula quaedam erant spartae in nos, ex ingenti amoris igne in corde divino residentis. Ast cum quaereret signum infinitae dilectionis infiniti, unam reperit Filii dilectissimi Incarnationem, per quam totus sui cordis, suaeque dilectionis ignis facile omnium oculis splendet, totusque ignescit mundus, spirat, vivit. Subinde Joannes 1. Epist. c. 4. v. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

346 Latet in occulto cordis amor, qui ex impulsu ipsius cordis proficiscitur; quoad usque per verba oris innotescat, & sic in lucem cognitionis veniat: uti eleganter expendit S. Ennodius lib. 4. Epist. 25. Decorato, in hunc

Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.

Per cor amor intelligitur, quo nos Deus summi dilexit dans nobis filium suum. Honor. Ioan. 3. 16. obius.

1. Joan. 4. 9. Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.

1. Joan. 4. 9. Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.

1. Joan. 4. 9. Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.

1. Joan. 4. 9. Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.

1. Joan. 4. 9. Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.

1. Joan. 4. 9. Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.

1. Joan. 4. 9. Latet in corde amor quo ad usque per verba innotescat.